



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio LXII. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

catis tutò *practicare possint. Datum Lovanii 29. Septemb. 1675.*

Christianus Lupus S. T. Doctor Lovanien-
sis sic paucis absolvit.

*Libellus hic nihil continet Catholicæ fidei, aut
consuetis Ecclesiarum moribus adversum; adeoque
poterit imprimi. Dabam Lovanii die 2. Octob.
1675.*

His subscribere non detrectasset Jacobus
Pontanus S. T. Doctor Lovan. qui die 15.
Maii 1654. approbavit, defenditque hanc
Thesim.

*Ignorans articulos fidei necessitate medii cre-
dendos, absolvi non potest; sicuti nec ille, qui non
vult deserere occasionem proximam peccandi; nisi
ocasio relinqui non possit absque scandalo gravi,
infamia, vel detrimento magno spirituali, vel
temporali. Non tam generaliter affirmavit
Franciscus Jacobs. Habet ergo copiam Accu-
sator, unde augeat accusationes suas.*

PROPOSITIO LXII.

Proxima occasio peccandi non est fugienda,
quando causa aliqua utilis, aut honesta non
fugiendi occurrit.

Ad hanc propositionem vide hominis, non
jam temeritatem, sed prope dixerim, furo-
rem Hac, inquit, est doctrina totius Societa-
tis, & fere omnium Ordinum, si minus in scripto,
sal-

saltem doctrina illorum fuit in praxi: quia talibus personis negare absolutionem non audebant.

Ad imposturam tam enormem peto, ut vel unum nomet aut Societatis, aut aliorum Ordinum, qui scripserit, dixeritve, causam sufficientem non fugiendi occasionem proximam, esse causam quamlibet utcumque utilem, aut honestam. Nullum inveniet. Cupio redargui.

Sed neque ipse speravit se inventurum: unde mox quasi respirans à calumniâ tam laboriosa, ait, illam fuisse eorum doctrinam saltem in praxi, quia talibus personis negare absolutionem non audebant, spero ego quidem alia futura Dei judicia, alia hominis tam præcipitis. Prudentes, & pii Confessarii Religiosi rationes suas impertiendæ, differendæ, & negandæ absolutionis ritè habent subductas ex principiis optimorum Theologorum S. Thomæ, S. Bonaventuræ & aliorum. Hæ rationes sperant se Deo probaturos: de sua methodo & praxi in hoc ministerio alii viderint.

PROPOSITIO LXIII.

Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi.

Hæc, inquit, Accusator docet Baunius Jesuita totidem